

AD IMAGINEM DIVI
CHRISTOPHORI.



IN IMAGINEM DIVI CHRISTOPHORI.

Tu quis es? ingenuè Christum profitentis imago,
Cui nomen puer hic, quem fero, dulce dedit.
Quis puer hic? Christus, quæ moles tanta gigantis,
Exigui pueri cum leue portet onus?
Omnibus in speciem parius puer iste uidetur,
Quo tamen est toto maior in orbe nihil.
Hinc opus est, animis ut sint, & corpore fortes,
Qui Christum populi ferre per ora uolunt.
Cur tamen ingrediens tumidi per marmora ponti,
Arborea infestas mole repellis aquas?
Per mare quod calco peruersum intellige mundum,
Ille animis præbet seua pericla pijs.
Arbore nil aliud nisi sanctum intellige uerbum,
Rebus in aduersis quod pia corda regit.

Hoc etiam instructi ruimus per saxa, per ignes,
Qui Christi meritum grande docemus opus.
Dic tamen hoc etiam, quid pendens mantica tergo,
Quid sibi cum liquido pisce placenta uelit?
Certa pijs nunquam desunt alimenta ministris,
Quiq; Deo fidunt, seruat aliq; Deus.
Porro quis insignis cana procul ille senecta,
Præuius accensa qui facie monstrat iter?
Fax præmissa refert uenturi oracula Christi,
Significat uates qui cecinere senex.
Huc ades o hospes, tuq; o puer optime Christe
Mecum habita, tecum uiuere, uera salus.

Iohan. Stigelius.

Ἀσότης μοι ποιμενικός
AD PASTOREM THEO-
DORIENSEM.

Qui fers Christum per magnum mare,
Et uis cum fructu predicare,
Non currito nisi uocatus,
Et Christiane ordinatus.
Pasce tibi commissum gregem,
Ante gratiam acutè legem.
Promte noua & uetera,
Verge fidem & opera.
Sed rectè seca uerbum uite,
Series ordinata ritè,
Piè, sanè & prudenter,
Verecundè, reuerenter.
Dic uulgo necessaria
Et pueris utilia.
Simplex, breuis & honestus,
Vultu, gestu sis modestus,
Nec utaris locis mille.
Aut uerbis aule, fori, uille.
Nec te ipsum laudes superbi,
Nec pungas alios acerbi.
Nec sis Therites in regentes,
Aut debaccheris in absentes.
Non Scurra leuis, aut morosus,
Nec hyperbolice clamosus.
Nec Sophista maledictus,
Nec sis semper contrarius:
Non trilinguis disputator,
Stultus, stultis stulta sator.
Ex Apostolis & Prophetis
Res & uerba tuò petis.
Sed interpretationes
Dant symbola & sani Doctores.
Christi modo species honorem,
Nec uulgi pisceris fauorem.
Non uereare odia,
Aut hominum iudicia.
Nec cauponeris uerbum Dei,
Turpe lucrum obest rei.
In statione tua dura
Nec causas alienas cura.
Nihil credas delatori,
Fallax, uanus rumor chori.
Custodi conscientiam,
Fidem, famam, prudentiam.
Crux & uerbum sana docent,
Festus, ira, liuor nocent.
Nec zelo quicquam noui tentes,
Fuge fanaticorum sentes.
Fidelibus te typum præstes,
Tantum uerbi uirgam gestes.
Non nisi cogitata feras
Ingratitudinemq; feras.
Non queritor de tua causa,
Nec querito scutum in aula:
Sed musita iniurias,
Dic semper DEO gratias.
Iusta tua Deo indica,
Nec publice te uindica,
Cautus tranquillitati stude,
Nec doctrinas nouas cude.
Non sis sax aut tuba litis,
Sed pacificus & mitis.
Spartam nactus, ipsam orna,
Nec factiones unquam tora.
Ora, lege, meditare,
Et bene mouenti pare.
Et reuerere præceptores,
Ferto collegarum mores,
Sectare pacem, & fac bonum,
Charitas est ingens donum.
Quæ facis, fac sedulo,
Cetera commenda Deo.
Caueto ab hominibus,
Et inferuito omnibus.
Sic feres Christum decenter
Et psalles Deo sapienter,
Et corona gloriosa
Erit merces copiosa.
Nec offendes Dei clerum
Experto crede, loquor uerum,
τῷ Θεῷ.
Inter Montes Regis
Pastor Dei plebis.
1554.

